

Furti auctor ad geminas columnas est laqueo necatus: indici præter aurum, quod in præsentia dono accepit, perpetuum est salarium ex publico decretum. 1449

Picinini interim filii cum tribus equitum millibus ac duobus peditum, a Mediolanensibus ad Sforciam transivere. Verum quia constabat, illius pollicitationibus Picininos adductos Mediolanenses deseruisse, quod per fœdus cum Veneto iktum, non licebat (erat enim in eo cautum, ut quidam tradunt, ne Venetus, neve Sforcia eorum quenquam conduce-ret, qui Mediolanensium stipendia fecissent) alienavit ea res non nihil Patrum animos a Sforcia societate: quippe quibus ducis potentia jam plus quam satis esset, suspecta esse cœperat: atque ob id tum primum ad Mediolanenses respicere cœperunt. Picinini autem, quum non multo post in suspicionem venissent, capitales Sforcia infidias parasse (a quibus ut caveret, identidem ille a Marcello monitus dicitur, ne aliquo ab eis incommodo afficeretur) repente cum suis copiis Mediolanum concessere. Tradunt tamen quidam, eo consilio Picininos ex urbe ad Sforciam transivisse, ut per hyemem foris exercitum alerent: ac ubi æstas appetere cœpisset, tunc (quod fecerunt) ad suos cum omnibus copiis redirent. Urgebat interea ille hostium urbem assidua infestatione, multisque cladibus afficiebat: quando Alphonsus Rex, ut Insubres aliqua ex parte bello levaret, omnes Veneti nominis finibus regni publico edicto dejecit. Quæ aperta belli denunciatio effecit, ut Veneti continuo ingentem classem decreverint. Quinque & triginta triremes, decemque onerariæ adversus Regem sunt viris & armis instructæ: earum omnium imperium Alovisio Lauretano est datum. Is maritimi belli apparatus fecit, ut Alphonsus per Leonellum Æstensem & legatos (qui Ferrariam usque progressi, Venetias venire a Patribus sunt prohibiti) pacem impetrare tentarit: sed res, semel irritatis animis, frustra mota est. Interim Victor Capellius qui sinui præerat, biremem unam Gotholanicam, quæ Venetam nuper oppres-serat, celeri fuga Ortonam usque insecutus, ubi hostes in lit-tus evasisse, atque oppidanorum auxilio adjutos, vim parare animadvertit, obversis triremium quas habebat proris, jubet